



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXXIII. De Conversione Infidelium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

SUMMARIUM.

1. *Quinam dicantur Infideles,*
2. *Quid, si unus infidelium conjugatorum convertatur.*
3. *Quid aliud statuatur in hoc titulo.*

1 **I**nfideles hoc loco, uti passim in Jure, sunt illi, qui nunquam suscepto Baptismo Ecclesiam ingressi aut Christianam fidem professi sunt, uti Judæi. Ethnici, Pagani, non vero Hæretici; hi enim propriè *reverti* potiùs, quàm *converti* dicuntur. Per *Conversionem* autem intelligitur transitus ad Fidem seu Religionem Catholicam.

2 Dico I. Matrimonium ab infidelibus contractum, etiam consummatum, si unus se convertat ad fidem Catholicam, manens autem in infidelitate nolit cohabitare converso, vel velit quidem, et non sine contumelia Creatoris seu injuria erga Christum, aut sine sollicitatione conversi ad peccatum, statim dissolvitur quoad vinculum, quamprimum conversus ad alias nuptias transit, sicuti potest. *can. 2. caus. 28. q. 2. & c. 7. de divort.* ubi Pontifex, uti Doctores communiter, sic intelligit illa verba S. Pauli *1. Cor. 7. Quòd si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater aut soror hujusmodi.* Et hic casus

casus est unicus, quo Matrimonium semel validum & consummatum dissolvi quoad vinculum potest.

Dico 2. Matrimonium infidelis ad Fidem conversi, quod contrahit cum uxore fideli, cujus maritum consentiente uxore occidit, licet adhuc infidelis, eum in finem, ut eam duceret in uxorem, est nullum; adeoque hoc impedimentum Criminis etiam afficit Infideles, licet aliis impedimentis Matrimonii Jure Ecclesiastico introductis non ligentur Infideles. 2. Si unus Infidelium convertatur, & altera pars in Infidelitate persistat, proles eorum, quæ nondum sunt rationis ita capaces, ut possint ipsæmet Religionem eligere, tolli ab Infideli, & educari à converso debent, sive iste sit pater sive mater. Pars prior habetur c. 1. & posterior c. 2. h. t. Nec obstat, quod secundum Leges Civiles liberi sunt in potestate patris, non matris, & illi, non huic, cura educandi liberos & alendi incumbat. *f. fin. Inst. de patr. pot. l. 9. C. eod.* ergo, si mater convertatur ad Fidem, proles relinquendæ sunt patri persistenti in Infidelitate; negatur enim *consequentia*. Siquidem favor Religionis & bonum spirituale liberorum prævalet dispositioni Juris Civilis, & standum hac in parte Juri Canonico,

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione.

SUMMARIUM.

1. 2. Quid sit votum, & redemptio voti.
3. An ex metu, vel errore editum valeat.

Pars II.

L

4. Quo